

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavgvralis Medica De Variolarvm Pernicie In Hypochondriacis Observanda

Juncker, Johann

Halæ Magdebvrgicæ, [1732?]

VD18 90813529

Prooemium.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198288



PROOEMIUM.



DEcantatum omnino & per vulgus satis notum est, quod *variola* & *morbilli* ab omnibus aliis morbis duobus præcipue articulis, iisque plane mirificis, sese distinguant. Alter quidem horum articulorum id quasi officii & necessitudinis inuoluit, ut quilibet fere hominum Europæorum, quacumque demum vitæ suæ periodo, hisce morbis debitum suum reddere teneatur. Alter autem omnes, qui semel cum iisdem legitime conflictati sunt, ab ulteriore insultu & contagio liberrime eos absoluit. Hi duo articuli uti prorsus singulares & nullo facile ratiocinio peruestigandi sunt: ita duobus inprimis conatibus, quibus defensionem suam contra illos hostes meditantur, a longo iam tempore hominibus ansam dederunt. Velenim hocce adfectus per totam vitam effugere & ab iisdem

præseruare sese anxie quæsiuerunt: vel de leuissimo eos superandi modo varie cogitarunt. Quod ad priorem conatum, nempe ad præseruationem, attinet, experientia, optima rerum magistra, illos docuit, non tantum irritam & vt plurimum vanam hanc esse sollicitudinem, verum etiam formidulosos in perpetua anxietate tenere. Vnde non mirandum est, quod alter ille conatus, quo hosce morbos leuiore veluti saltu transilire intendunt, eo maiorem approbationem inuenerit. Huic autem fini præcipue destinata est artificialis illa *variclarum insitio* seu *plantatio*, germ. das Blatter = Belzen, die Einsprossung der Pocken. Quæ curiosa & e Turcicis regionibus in Angliam primum translata operatio non mediocres turbas passim excitauit. Sicut enim propugnatores & patroni huius emplastrationis magnas de illa utilitates maximeque immunitatem a variolosa per omnem ætatem infectione liberaliter promiserunt, & hac de re scriptis quibusdam multa multis encomiis promulgarunt: ita ex altera parte non defuerunt aduersarii, quorum alii quidem e theologicis, alii autem e medicis principiis strenue eidem contradixerunt, atque hanc variolarum inoculationem fallacem, incertam immo periculosa pronunciarunt. Factum hinc est, vt huius experimenti vltiores tentationes iam edicto publico prohibita, iam, mutata sententia, de nouo concessa & ipsorum Principum liberi huic variolarum insitioni in Anglia & Gallia expositi fuerint. De quibus turbis & agitationibus deque acerbo vtriusque certamine legat, cui interest, *Mémoires littéraires de la Grande Bretagne*, item *Act, Berolin. decad.*

decad. II. Vol. 2. § 3. Act. Erudit. Lips. ann. 1714. mens. August. & passim Collectiones Vratislavienses. Ad hæc omnia animos excitavit variolarum indoles, uti supra dictum, prorsus singularis. Verum enim vero si intimiorem horum exanthematum rationem ineamus, & quid in his morbis, sibi relictis, plerumque contingit, penitus omnino consideremus: tum sane non est, cur vel anxie fugiendas vel e corpore in corpus artificiose transferendas variolas meditemur. Si enim illæ sint indolis *benignæ & distinctæ*, non indigent therapia artificiali, neque vlllo modo tum sunt reformi-dandæ, quia sponte natura & congruente regimine feliciter vbique superantur. Quod si vero *malæ & confluentis* moris obseruentur: tum illa malignitas est vel *essentialis* vel *accidentalis*. De essentiali in praxi medica notum est, quod omnino rarius contingat; quodque etiam tales variolæ, si incongrua artificia excludantur, pauciores ægros extinguant. Huic accedit, quod ipsi insertionis patroni, præcipue *Pylarinus*, confessi sint, corpora inoculationem passa tum temporis communem cum cæteris sortem reportare, quando epidemice variolæ grassarentur. Accidentalitatem autem malignitas dependet vel a medicatione sinistra, vel a regimine peruerso, vel ab intrinseca individui dispositione. Illa facile potest evitari, istud simpliciter corrigi, hæc autem, nempe individualis dispositio ita est comparata, ut dubium sit, num etiam hic artificiali insertioni prærogatiua triumphus tribuenda sit. Si enim vel visceris cuiusdam labes, vel eximius cacochymia status, vel trepidus tenerrimi individui animus concurrant: tum hæc